



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Qualiter de bonitate Dei loquendum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## C A P U T V.

*An qui dicit instanter orandum pro dono pœnitentia, indignè loquatur de bonitate Dei, & aperiat peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem, eosquè precipitet in labyrinthum perpetua incertitudinis?*

**V** Eræ pœnitentiæ gratiam non sic omnibus peccatoribus ultro offerri, ut eis opus non sit eandem instanter petere, superiori capite sufficienter, ut arbitror, est firmatum: sed non acquiescit Appendix, & nu. 255. vult id esse minus dignè loqui de bonitate Dei, & aperire peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem.

## §. I.

*Qualiter de bonitate Dei loquendum?*

**V** Erùm de bonitate Dei qualiter loquendum sit, omissis phantasmatis nostris, juxta veritatis regulam est definiendum. Non enim indiget illa mendacio nostro ut commendetur: suis ipsa operibus, operandiquè modo magna est & laudabilis nimis.

eb. 13. v. 7

Cu-

PECCATORIS. 53

Cujusmodi sese peccatoribus exhibeat, non ex nostro placito præsumamus, sed quantum id ipsa nobis notum facere dignata fuerit peruestigemus. Bonus est Dominus quia *præstabilis super malitia*. Bonus est quia *in multa patientia sustinet vasa iræ aptata in interitum*. Bonus est quia eos qui exerrant partibus, corripit, & de quibus peccant, admonet & alloquitur, ut relictâ malitiâ credant in se, & judicans dat locum in peccatis pœnitentiæ. Bonus est quia verè pœnitentium cor contritum & humiliatum non despicit: sed licet peccata eorum fuerint ut coccinum, quasi nivem dealbat. Bonus est quia quos per Baptismum in gratiam recipit, omnem delet & culpam & pœnam. Bonus est quia post Baptismum naufragis, secundam reliquit pœnitentiæ tabulam. Bonus est, quia etiam millies relapsorum, nullas apud eum patitur veniæ moras vera conversio. Deniquè bonus est quia pœnitentia nunquam est apud Deum sera. Ecce in quibus merito quia veraciter exclamamus: *O quam bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus.*

Joël 2. 7.

13.

Rom. 9. 7.

22.

Sapient. 12.

7. 2. 19.

Psal. 50.

Is. 1. 7. 18.

S. Leo Ep.

91.

Hier. ep. 48

ad Sab. c. 4.

Fulgent. ep.

7. cap. 7.

Sap. 12. 7. 1